



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Illvstrivm Miracvlorvm Et Historiarvm Memorabilivm Lib. XII

Caesarius <Heisterbacensis>

Antverpiae, 1605

De sancto Bernardo Abbate, quem calceos suos inu[n]gentem, spiritus  
superbiae subsannauit, cap. 7

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13177**

valde miraretur quid haberet, vel quid vidisset. Cui cum signasset ut iret dormitum, eo quod frigus esset, & ille in sola tunica sederet, non acquieuit. Tunc scapulis eius partem operimenti sui iniecit, sicque usque ad signa matutinalia sedere permisit. **APOLLONIVS:** Mirum quod paries nouus tam validè impulsus subsistere potuit. **CÆSARIUS:** Diu non stetit, quia crebris tentationum ictibus quassatus, tandem sub specie boni deceptus est & deiectus. Factus verò monachus, ut sibi liceret visitare cognatos suos in Francia, quos ante conuersionem in viginti annis non viderat, nec videre curauerat, & illic esse per annum in quadam domo ordinis nostri ab Abbate cum multa importunitate extorsit. Iuit, & redijt, ac deinde apostasiam incurrens, extra ordinem defunctus est. Retulit enim nobis quidam vagus clericus, qui etiam fini eius interfuit, quod cuidam seculari sacerdoti fuerit confessus, & ab eo inunctus atque communicatus, sicque in bona contritione defunctus est. **APOLLONIVS:** Ex nimis importuna dæmonum tentatione hinc disco, plus eos tenuisse nouitij huius humilitatem, quam supradicti monachi virginitatem. **CÆSARIUS:** Quàm contraria sit illorum superbiæ verà humilitas, ex sequenti capitulo plenius agnosces. Quod dicturus sum, de sancto Bernardo gestum audiui, & quia nusquam scriptum inueni, scripto mandare dignum duxi.

## CAPVT VII.

**D**E quadam, humilitatis causa, sanctus Abbas Bernardus à ferrario sibi iussit unguentū dari, & in calefactorio ignem fieri: qui super se ostium claudens, ne ex opere tam despecto laudem quaerere videretur, calceos suos inungere cœpit. Inuidens tantæ humilitati superbiæ spiritus, officinam humilitatis in forma honesti hospitis intrauit, & ubi esset Abbas clara voce requisivit. Ad quem cum vit sanctus oculos leuasset, dæmon clamauit. Wach qualis Abbas! certè magis diceret illius honestatem hospitibus occurrere, quàm ad confusionem fratrum suorum in calceis inungendis occupari. Statim vit sanctus

Sanctus per sanctum Spiritum illum intelligens spiritum esse immūdum, rursū ad opus humilitatis oculos reflexit, & spiritus ille ventosus in aërem resolutus nusquam comparuit. APOLLONIVS: Si viri iusti in operibus despectis timēt elationem, vel, quōd minus est, notari ab illa, multum nobis cauendum est, de vana gloria, quando opera exercemus sancta & honesta.

CÆSARIVS: Quid appellas opera sancta & honesta? APOLLONIVS: Orare, cantare, prædicare, hisque similia. CÆSARIVS: Nobis, qui iusti nondum sumus, vt dicis, plurimum cauendum est, de inani gloria, quia orantes frequenter etiā nolētes extollit ipsa lacrymarum gratia, & deuotio cordis; cantantes siue psallentes dulcedo vel sonoritas vocis; prædicantes sapientat & inflat scientia, eloquentia, & sublimitas sermonis. Alij, q̄ omnino stultitiæ deputandum est, cū non habeant gratiam orandi, vel vocem cantandi, siue scientiam facundiamque prædicandi, quasi de habitis gloriantur. Quod etiā maioris demētiæ est; quidam ad hoc tantum orant, cantant, prædicāt, vt laudem humanam, atque temporale emolumentum ex eis consequantur. De talibus Saluator dicit in Evangelio: Amen dico vobis, receperunt mercedem suam, id est, hoc quod quæsierūt; laudem scilicet hominum & lucrum. Ita iam dictis operibus sanctis, quod quosdam tantum superbia ad meritum tãgit; alios per delectationem angit; plurimos, vt hypocritas, per consensum & desiderium victos fortiter premit. Vis nunc aliqua de talibus audire exempla? APOLLONIVS: Hoc dudum desiderauī. CÆSARIVS: De excellentia orationis habes exemplum in secunda distinctione, capite vicesimo secundo, vbi diabolus ad monachi lacrymas respexit, cū eum gratia eadem extulisset. Quantum sit periculum in vocis extollentia, exempla te instruent subsequētia.

## CAPVT VIII.

**S**ICVT didici, non ex lectione, sed ex cuiusdam magni, tam vita quā doctrina, viri relatione, monachus quidam erat in monte Cassino, vocem habens

*Inanis gloria cauenda in bonis operibus.*

*Matt. 6.*

*Inanis gloria ex voce canora quæ sita.*